



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Disp. II. Denaturali perfectione, & origine beatæ Virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

tione super Canticum Magnificat, quæ habetur in fine 9. tom. *Eua propter superbiam*, inquit; *abiecta est*, Maria vero propter humilitatem est electa. Et Iustin. Martyr, dialogo cum Tryphone satis postmodum. Homo, inquit, natus de Virgine, ut per quam viam fraude serpentis intravit inobedientia, per eandem sequeretur venia. Confirmatur, quia sequitur, ante prævisum originale peccatum prædestinasse Deum totam seriem generationum ab Adamo vsque ad Virginem, quia non potuit Beata Virgo per seminalem rationem, & naturali modo ab Adamo descendere, nisi ex his parentibus, & progenitoribus. Consequens autem videtur creditu difficile.

Respond.

Ad Patres respondeo, in illis & similibus locis, non explicare primam rationem, neque ordinem huius prædestinationis: sed proximum finem, quem Deus intendit in modo executionis eius, ut plane constat ex verbis Iustini, & ex prioris testimonio Augustini, ubi non de electione, sed de illius executione loquuntur. Augustinus verò in posteriori loco, quamvis nomine electionis utatur, tamen solum de illa loquitur quo ad effectum eius, quod evidenter constat, quia dicit, Mariam esse electam, *Quia factori suo humiliter se subdens, ancillam se nominavit*. Certum est autem si loquamur de prima electione ordine intentionis, non ideo Mariam fuisse electam, quia futura erat humilis, sed potius, quia electa est, ideo illi datum esse, ut esset humilis: in re tamen effectum illius electionis consecuta est, quia per humilitatem congruè se disposuit.

Ad confirmationem, quamvis illatio illa pendat ex quaestione Physica, scilicet, an hoc indiuiduum possit ex alijs parentibus naturaliter generari, quid tamen de hoc sit, concedo sequelam. Est enim illud consequens verum, & facile supposita diuina præscientia, & efficacia diuinæ voluntatis, ut facile constare potest ex ijs, quæ dicto articulo tertio diximus.

Quarto ex dictis colligitur, quid respondendum sit interroganti, an si homo non peccasset, Beata Virgo futura esset mater Dei? Dicendum est enim si solum habeatur ratio illius primæ electionis, quia Beata Virgo per se electa est, ex vi illius futuram fuisse, etiam si homo non peccasset, sicut futuri fuissent alij homines, illorumque generationes. Quia illa electio, & motuum eius, nihil inuoluit necessarium pendens à peccato, & hoc suadent omnes coniecturæ primò adductæ: si autem huic electioni coniungatur tota ratio diuinæ providentiæ, & præscientia futuri peccati, saltem conditionata, sic verè dici potest necessarium fuisse peccatum, ut Beata Virgo esset mater Dei. Quæ doctrina constat ex ijs, quæ in simili quaestione de Christo Domino diximus, est enim eadem proportionalis ratio.

Dubium.

Super est tamè difficultas circa priorem partem, Quia si homo non peccaret, & Verbum fieret homo, non assumeret carnem ex materno vtero, ergo nec Beata Virgo futura esset mater Dei, nec potuit per se eligi in matrem, nisi occasione peccati. Antecedens probatur, quia si Deus fieret homo absque occasione peccati, assumeret corpus à principio perfectum, & gloriosum, cui perfectioni repugnat conceptio in vtero matris. Respondetur primum, sub obiectum illius electionis per se, & intrinsecè non cecidisse illud, quod in argumento sumitur, nec ex tali electione hoc necessarium inferri, potuisset enim Deus fieri homo immortalis, non in statu gloriæ, sed in eo statu, quem haberent homines viatores Adamo non peccante: per se enim decere potuit, Christum esse viatorem cum conditione corporis statui hominum accommodata, ut & illis mereretur, & suo exemplo viam ad beatitudinem demonstraret. Addo Augustinum, lib. 1. de peccat. merit. c. 27. & 28. dubitare, an homine non peccante, homines concipiendi essent in parvis, &

August.

A debilibus corporibus, ita ut nec lingua, nec membris uti possent. *Quia non obstante*, inquit, *exigua vi* Si Deus fieri vi capacitate, posset omnipotentia creatoris, filios nondum eductos, grandes statim facere. Si igitur de omnibus hominibus, ita Augustinus existimauit, non improbabilius posset aliquis dicere, etiam si Christus concipiendus esset gloriosus, & perfectus, hoc nihil ob stare, quominus ex materno vtero progredetur. Præsertim quia durante illa vita immortalis, in qua homines post certum, ac definitum à Deo tempus, essent ad beatitudinem transferendi, potuisset facile Beata Virgo statim post filij conceptionem, & animo, & corpore simul cum filio fieri gloriosa. Itaque non est cur dicamus dignitatem matris Dei per se, aut necessarium à peccato pendere.

DISPUTATIO II.

in tres Sectiones distributa.

De naturali perfectione, & origine Beata Virginis.



Explicata dignitate matris, ad quam Beata Virgo prædestinata fuit, consequens est, ut tempus, & modum, quo dignitatem hanc consecuta est, & perfectiones omnes, quibus ratione illius nobilitata est, explicemus. Quia verò gratia naturam supponit, ideo in disputatione hac, omnia, quæ ad naturalem eius perfectionem, & originem pertinent, præmittemus, dicturi postea de supernaturali perfectione.

SECTIO I.

Virum Beata Virgo fuerit naturali modo concepta, & ex quibus parentibus.

Primum omnium tanquam certum statuentum est, Beam Virginem procreatam esse ex viri, & femine commixtione carnali, ad modum aliorum hominum. Quamquam enim hoc, neque in sacra Scriptura legatur, neque in Concilijs expressè definitum sit, habetur tamen certa traditione, & communi consensu totius Ecclesiæ. Est enim singulare privilegium Christi, quod ex femina sine opera viri conceptus sit. Unde Luc. 1. dicit Angelus ad Virginem, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*. Et causam subdit, dicens. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*, fuit ergo hæc propria prerogatiua Filij Dei, & ad eius singularem honorem spectat, ut alteri communicata non fuerit. Præterea sequitur hæc veritas ex alio principio fidei, quo constat indignuisse Virginem redemptione, quia nimirum descendebat ex Adamo per seminalem generationem.

Adde in grauiusimis etiam historijs mentionem fieri parentum Virginis, sub proprijs eorum nominibus, scilicet Ioachim, & Annæ, ut constat ex Nicephor. libr. 1. cap. 7. & libr. 2. cap. 3. ubi ex Hippolyto Portuensi hanc historiam refert. Idem Epiphani. hæres. 78. & in fine, & 79. circa medium, ubi expresse inquit, *Tametsi historia Maria, & traditio habens dictum esse patri ipsius Ioachim in deserto, vxor tua concepit, non tamen, quod sine coniugio neque sine semine viri hoc factum sit, & ibi damnat hæresim Collyridianam, quæ aiebat, Mariam humanæ naturæ prorsus fuisse expertem*. Plura habet Epiph. orat. de laudibus Virg. in tom. 7. Biblioth. Damascenus libr. 4. cap. 15. & orationibus de Beata Virg. & Andreas Ierosolymit. oratione de Dormitione Dei. paræ, & German. Constantinopolitanus, oratione de oblatione Mariæ in templum, Gregorius Nyssenus oratione de sancta Christi Natiuitate, Simeon Metaphr. & alij, qui historiam de Beata Virgine scripserunt.

Virgo ex corpore carnali viri, ac femina, ut alij homines nata.

Nicephor.

Epiphani.

Damasc.

Andr. Iero.

German.

Constant.

Greg. Nyss.

Simeon Metaphr.

Neque

Si homo non peccasset, quomodo Virgo futura esset mater Dei.

Respond.

August. Neque obstat quod August. libr. 23. contra Faust. cap. 9. historiam hanc de parentibus Virginis apocrypham reputet: tum quia solum dicit, non habere auctoritatem canonicæ scripturæ, quod & nos fatemur: tum etiam, quia solum illam rejicit, quatenus Faustus asserbat, Ioachim fuisse Sacerdotem ex tribu Leui, quod citatæ historiæ non dicunt, neque verum est, ut infra videbimus. Quo loco obiter aduertendum est omnes prædictos auctores honorificè loqui de his parentibus Virginis, sentientes, illis nobilibus, & honestæ conditionis, ac status fuisse. Quod notandum est contra hæreticos huius temporis, qui iniuriôs de Virgine, & eius parentibus loquuntur, contra quos videri potest Canis. lib. 1. de Beata Maria, cap. 4. & lib. 4. cap. 7. Notat etiam Damasc. nomina horum parentum non vacare mysterio, quia Anna, gratiam, seu misericordiam: Ioachim verò, Dominus firmabit, seu suscitabit, interpretari possumus. Quo indicatum est eos genituros fuisse filiam, per quam Deus & misericordiam suscitaret, & gratiam confirmaret.

Conceptio Virginis miracula. Dico secundo, hæc B. Virginis conceptio non sine aliquo miraculo, & supernaturali virtute perfectæ est. Ex dictis patet. Referunt enim Annam fuisse sterilem, & vitam sine prole usque ad senectutem produxisse, & orationibus conceptionem Virginis impetrasse. Ita referunt Nicephor. Epiphanius. Damascenus. & Gregor. Nyss. locis supra citatis, & autor libri de ortu Virginis, qui nomine Hieronymi. inter opera eius habetur. Vnde concluditur ratio, nam sterilem, senem, & ex senē concipere, non fit sine miraculo, sed Beata Virgo hoc modo concepta fuit, ergo. Confirmatur primo ex Damasceno orat. 1. de nativ. Mar. quia decuit, ut ad summum miraculum via per miracula sterneretur, & ut in fabrica Virginis gratia naturam iuaret, ac preueniret, & ut parentes Virginis ad talem fructum suscipiendum se se desiderijs, & orationibus disponerent.

Obiecta. Dices, Maius miraculum videtur concipi ex senē sterili, quam ex sola muliere iuvene, & fecunda. Nam in priori opere deest tam efficiens, quam materia sufficiens, & utrumque supplet Deus: in posteriori verò, materia proportionata supponitur, Deique solum vices causæ efficientis assumit. Respondetur negando antecedens, quia in priori opere non omnino deest virtus efficiens: & materialis causa, sed utraque concurrat licet imperfecta, ideoque divina virtute iuvantur, quanquam conceptio in reliquis omnibus fiat naturali modo, & per carnis concupiscentiam: at verò posterior conceptio, quæ ex sola femina, fit virtute Spiritus sancti, longè altiori modo fit. Quod à posteriori declaratur, primo quidem, quia qui concipitur virtute Spiritus sancti, ex vi conceptionis suæ, non est obnoxius originali peccato, qui verò concipitur ex virili semine quantumvis simili, & sterili, ex vi conceptionis debetum habet contrahendi originale peccatum, ut August. notavit, lib. 3. contra Iulian. cap. 11. Deinde, quia modus conceptionis ex Spiritu sancto proprius est Christi (ut diximus) alia verò conceptio ex parente sterili, & senē multis alijs sanctis communicata est, ut Ioanni Baptista, Isaac, &c. Vnde etiam sumitur coniectura hunc saltem posteriorem modum miraculosæ conceptionis Beatam Virginem decuisse.

August. Ex quo etiam verisimile est, hanc Virginis conceptionem fuisse parentibus diuinitus prænuntiatam, ut apertè refertur in dict. lib. de Nativitate Mariæ, nomine Hieronymi, & Epiphani. hæref. 70. & satis indicat Gregor. Nyssen. supra dicens, Annam cum prolem à Deo postularet, nuntio diuino fuisse confirmatam. Cuius verba Nicephorus usurpavit. Et quidem si conceptio Isaac, & Ioannis Baptista, parentibus diuinitus nuntiata fuit, verisimile admodum est parentes Virginis hoc beneficio non fuisse priuatos.

Conceptio Virginis prænuntiata. Vnde Damasc. supra de beatissima Anna loquens, inquit, Quemadmodum præca illa Anna, cum sterilitatis morbo laboraret, per orationem, ac promissionem Samuelis procreavit: eodem modo hæc etiam per obsecrationem, & promissionem, Dei genitricem à Deo accepit, ut ne hoc quoque, cuiquam ex illustribus matronis cederet.

Vltimo verisimile ex dictis fit (quod in eodem libr. Hieron. dicitur) diuinitus reuelatum esse parentibus nomen Mariæ, sicut nomen Isaac reuelatum fuit Abraham, Genes. 17. & nomen Ioannis Baptista, Zacharia, Luc. 1. Vbi etiam Elisabeth indicatur fuisse reuelatum, ut ibidem notavit Ambrosius: non est autem verisimile singulare hoc diuinæ providentiæ genus, & amoris indicium alijs concessum, virginis fuisse denegatum, quod indicavit Ambros. libr. de institut. Virginis, cap. 5. dicens, Vnde & speciale Maria Domini hoc nomen inuenit, quod significat, Deus ex genere meo. Quam nominis etymologiam, non inuenio, vnde Ambrosius sumpserit. Nam iuxta proprietatem linguæ Hebraicæ, aut Syriacæ, Maria potius stella maris, seu Domina interpretatur, ut constat ex Hieronymi. libr. de nominibus Hebraicis, & Damasceni. libr. 4. cap. 15. & alijs patribus, quos Canis. congerit, libr. 1. de B. Virgin. cap. 1. vbi de hoc venerando nomine copiosè, & eleganter disputat.

Nomen Maria diuinitus reuelatum parentibus. B. libr. de institut. Virginis, cap. 5. dicens, Vnde & speciale Maria Domini hoc nomen inuenit, quod significat, Deus ex genere meo. Quam nominis etymologiam, non inuenio, vnde Ambrosius sumpserit. Nam iuxta proprietatem linguæ Hebraicæ, aut Syriacæ, Maria potius stella maris, seu Domina interpretatur, ut constat ex Hieronymi. libr. de nominibus Hebraicis, & Damasceni. libr. 4. cap. 15. & alijs patribus, quos Canis. congerit, libr. 1. de B. Virgin. cap. 1. vbi de hoc venerando nomine copiosè, & eleganter disputat.

SECTIO II.

In qua naturali perfectione concepta fuerit Beata Virgo.

Nicephor. Inquiri hoc loco consequenter poterat, quo tempore Beata Virgo concepta sit. Sed in hac questione explicanda nihil est quod immoremur, supponimus enim ex Nicephor. libr. 2. cap. 3. quatuordecimo, vel decimo quinto ætatis anno (quod infra suo loco definiendum est) filium suum concepisse: vnde, si quæ in superioribus dicta sunt de tempore, quo incarnatio facta est, considerentur, facile erit tempus conceptionis, seu natiuitatis Virginis, ad veram chronologiæ rationem reducere, saltem quod ad numerum annorū pertinet. Nam quod ad mensē attinet, ecclesiastica traditione habemus, octavo Septembris die natam fuisse, atque adeo octavo Decembris die fuisse conceptam. Quo autem die hebdomadæ nata, vel concepta fuerit, incertum est.

Corpus beatæ Virginis. Omnia ergo chronologica questione, de naturali perfectione Virginis breuiter dicendum est, corpus beatissimæ Virginis fuisse in sua specie, & sexu maximè perfectum. Ita docent omnes patres, qui de Beata Virgine scribunt. Nec potest sine temeritate negari, cum nulla auctoritas, vel ratio obstat, & per se decens, ac mysterio Incarnationis maximè consentaneum sit. Primò, quia ex illo corpore Christi corpus formandum erat: ad diuinam ergo providentiam pertinuit accommodare medium finis, & materiam effectui aptam præparare, præsertim cum diuina virtus, quæ in hoc opere singulari modo operabatur, facillimè hoc posset perficere. Secundò, quia decuit Christum, & Virginem esse inter se simillimos, non solum moribus, sed etiam & corporis perfectione, & affectibus. Hæc enim similitudo, & ad conciliandum amorem, & ad maiorem perfectionem pertinet: vnde hoc fuisse beatæ Briggæ reuelatum, legitur in 1. lib. 50. & 51. reuelationum eius.

Vnde colligunt multi, Beatam Virginem propter optimam corporis complexionem cum magna moderatione animi coniunctam, nunquam in verum, ac proprium morbum incidisse, & Sophro, in Epist. Synodica, quæ habetur in 6. Synod. Act. 11. 6. Synod. dicit, corpus Virginis ab omni contagione fuisse liberum, & eius carnem, Immaculatam, & purissimam vocat, quæ sancta & immaculata dicitur in eadem 6. Synodo action. 18. in edicto Constantini, Et con-

Et coniecturæ adductæ de Virginis perfectione, & cum Christo similitudine, hoc satis confirmant, ut rectè Caiet. docuit opusculo de spasmo Virg. & Galatinus libr. 7. cap. 10. quanquam Abulen. quæst. 13. in capit. 12. Leuit. contrarium ex parte sentiat, sine fundamento tamen, ut latius tractauimus infra de Christi conceptione disputantes.

Caiet.
Galatin.
Abul.
Pulchritudo
Virginis cor-
poris quanta
Antonin.
Richardus
Viti.
Greg. Naz.
A. d. r. Ierof.

Secundò colligitur Beatam Virginem præditam fuisse honestissima corporis pulchritudine, ut latè docuit Anton. 4. par. theologiæ tit. 15. cap. 10. §. 2. & colligitur ex Ricardo Victorin. capit. 26. in Cantica, ubi dicit fuisse, vultu Angelico, tam corpore, quam mente, accommodans illud. *Tota pulchra es amica mea.*

Vnde Gregor. Naz. in Christo patien. ante med. sic inquit. *O Virgo, forma quæ nitore ceteras præbet, & Andreas Ierof. ferm. de assumptione sic ad Virginem loquitur, Eximia pulchritudo, à Deo sculpta statua, rectè descripta.* Vnde pulchritudo Rachel, & similitum mulierum veteris testamenti figura fuit pulchritudinis Virginis. Huic denique veritati consentanea sunt, quæ de forma Virginis refert Niceph. lib. 2. cap. 23. Ratio præterea sumpta ex similitudine cū Christo, quem priori tom. ostendimus etiam in corpore fuisse pulcherrimum, hoc ipsum confirmat. Deniq; ratione naturali hoc colligi potest ex principio posito. Nam corporis pulchritudo ex optima complexionē, & proportionē membrorum nascitur, corpus autē Virginis fuit optimè temperatum, omnia etiam eius membra perfectam proportionem habuerunt, ergo. Addunt verò grauissimi Theologi talem fuisse Virginis pulchritudinem, ut eam intuentes non nisi ad castitatem, & pudicitiam excitaret. Ita docuit D. Tho. in 3. d. 3. q. 1. art. 2. quæstioncula 1. ad 4. qui meritò adiungit, hunc fuisse singularis gratiæ effectum, quia sola naturalis forma, aut virtus, vel modestia ad illum nō sufficeret. Præsertim cum addat Alen. 3. par. q. 9. m. 3. art. 1. Beatam Virginem suo aspectu concupiscentiæ motus extinxisse. Quod videtur prius docuisse Ambr. libr. de insti. Virg. c. 7. ubi sic inquit. *Tanta erat eius gratia, ut non solum in se virginitatem seruaret, sed etiam, si quos inuideret, integritatis in signum confiteretur.* Idem docuit S. Bonaueptur. in 3. distinct. 3. 1. p. artic. 2. q. 3. Gab. q. 2. art. 3. dub. 1.

Nicephor.

Pulchritudo
Virginis ca-
stitatis, in-
centium.
D. Thom.

Vltimò addendum est Beatam Virginem animam perfectissimam fuisse sortitam. Hæc conclusio fortius persuaderi potest omnibus testimoniis, & rationibus, quibus perfectionem corporis confirmauimus. Primò quidem, quia perfectio animæ magis necessaria est, quam corporis. Secundò quia similitudo in perfectione animæ nobilior est, quam corporis. Tertio quia anima accommodari debet corpori, & è contrario. Quarto denique, ut perfectissima gratia haberet proportionatum naturæ fundamentum. Quanta verò fuerit tota hæc perfectio, & an cum perfectione Adæ, aut Eux, conferri possit, nec multum refert, neque in hoc certum aliquid definiri potest.

Alen.

Ambr.

Bonauept.

Anima Vir-
ginis perfe-
ctissima.

SECTIO III.

Virum Beata Virgo ex tribu Iuda, & ex stirpe David originem duxerit.

D. Thom.

De genealogia Christi tractat D. Thom. infra, quæst. 31. art. 1. 2. & 3. disputans enim de Christi conceptione, consequenter differit de illius genealogia, & origine secundum carnem. Quia tamen genealogia Christi, & Virginis eadem est, quoniam Christus non habet humanam originem, nisi per matrem, ideo breuiter hoc loco rem totam expediemus. Fausus igitur hæreticus (ut est apud August. libr. 23. contra illum, cap. 3. & 4.) asseruit Christum, si non fuit genitus ex Ioseph, non potuisse esse ex familia David, quia Beata Virgo non erat ex illa tribu, sed ex Leuitica, cum esset cognata Elisabeth, Luc. 1. Gnostici autem hæretici de stirpe Mariæ por-

August.

Luc. 1.

tentum librum scripserunt, quem confutat Epiphani. pha. hæres. 26.

Dicendum verò primo est Beatam Virginem duxisse originem ab Abraham, & Iacob ex tribu Iuda per familiam David. Est res certa de fide. Quia ex scriptura constat Christum fuisse promissum Abraham. Genes. 18. & 22. & Iacob Genes. 28. constat etiam fuisse de tribu Iuda. Gen. 29. & ad Hebr. 7. & filium David, Matth. 1. ad Rom. 1. & ex variis locis Euangeliorum constat, communem sensum omnium Hebræorum fuisse, Messiam futurum fuisse filium David. Matth. 22. Marci 12. Luc. 20. Ioan. 7. Quod etiam satis conuincitur ex promissionibus factis David 2. Reg. 7. & Psal. 131. quas in Christo fuisse impletas testatur Angelus Luc. 1. Denique etiam inter gentes adeo hæc fama percrebuit, ut Vespasianus, & Domitianus, omnes, qui erant de stirpe David, interficere tentauerint, eo quod ex illa progenie Regem nasciturum audissent, qui omnibus dominaretur. Eule. lib. 3. hist. c. 17. & 15. Hæc autem omnia non possunt in Christum conuenire nisi ratione matris, cum secundum carnem patrem non habuerit.

Dices, Christus dicitur in Euangelio filius Ioseph, ergo ut dicatur filius David, aut Iudæ, satis est, quod Ioseph fuerit ex tribu Iuda, & familia David, etiam si Beata Virgo non esset ex illa tribu, quia Christus fuit veluti adoptatus filius Ioseph iure coniugij inter Mariam, & Ioseph, hoc autem satis esse indicant Origenes lib. 1. super Epist. ad Rom. & August. libr. 2. de consensu Euangel. cap. 2. Respondetur, certum esse debere Christum non tantum hac ratione, sed quia verè carnem sumpsit ex filia David, dici, ac verè esse ex familia David, ut bene docuit August. lib. 23. contra Fauf. cap. 8. 9. & 10. & Euseb. lib. 7. de Demonstratione. E. angelic. cap. 5. & 6. & indicat Athanas. lib. 1. de humana natur. suscepta non longè à fine. Et probatur, quia aliāsiue Christus, non verè fuit sed existimabatur filius Ioseph, ita non verè esset de tribu Iuda, quod est contra Paulum, nec secundum veram successionem, & originem à David descenderet, contra illud Psal. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quod testimonium de Christo interpretans Petrus Actor. 2. citat. *De fructu lumbi eius sedere super sedem eius, & Terull. libr. de carne Christi, cap. 21. similiter legit, De lumbis David.* Constat igitur Beatam Virginem contentam fuisse in lumbis David, & propterea Christum dici, *Fructum lumborum eius.* Quod exposuit Isai. capit. 11. dicens, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Supra enim ex Hieronymo. & alijs patribus interpretati sumus, hanc virgam esse Virginem, florem autem, Christum, qui propterea dicitur. *Leo de tribu Iuda, radix David.* Apocal. 5. Ac denique Paul. ad Roman. 1. *Qui factus est (inquit) ei ex semine David secundum carnem.* Nec interpretatio Origenis admittenda vlla ratione est, quia sola adoptio, vel potius existimatio, non satis est, ut dicatur, *Factus secundum carnem ex semine David,* sicut non posset vllō modo dici *factus ex semine Ioseph.* Augustinus verò in prior loco solum dicit, si non esset alius modus explicandi locum Matthæi, illum posse sufficere. Consideratis tamen alijs scripturæ locis: certum est quod diximus.

E

Sed hinc insurgit gravis difficultas: sequitur enim Matthæum non rectè narrasse genealogiam Christi, deducendo illam vsque ad Ioseph, quandoquidem hoc non satis est, ut Christus ostendatur esse ex familia David. Neque enim satisfacit vulgaris responsio, nimirum Matthæum hoc fecisse, ut consuetudinem scripturæ seruaret, narrandi genealogiam per paternam lineam. Cur enim oportuit morem hunc in Christi genealogia seruare, cum mos naturæ in illius conceptione seruatus non fuerit, qui ex matre sine patre procreatus est? Quod verò quidam aiunt, cum Matthæus Hebræis scriberet, recens

Obisid.

recens conuersis ad fidem, non fuisse expediens, vt statim in initio Euangelij tantum mysterium illis proponeret, ne illos à fide deterreret, hoc, inquam, frivolum est. Nam statim in eodem capite primo Euangelij, clarissimè idem mysterium proponit. dicens. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.*

Responso communis patrum est, non oportuisse vitatum scripturæ veteris morem in initio noui testamenti statim immutari. Quia explicata origine Ioseph, consequenter constabat Virginem esse ex eadem tribu, quia legelata Numer. ultimo, feminas necessarias erat, viris ex eadem tribu in matrimonium dari, ita Chrysof. hom. secunda in Matth. Hiero. Anselm. Teophyl. Euthy. & alij in Primum cap. Matth.

Sed instabit aliquis, quia hæc lex, nec fuit vniuersalis nec semper seruabatur, constat enim David duxisse Michol ex tribu Benjamin, lib. primo Reg. cap. 18. & Iudicum. 21. filij Israel iurauerunt, se non duros filias suas filijs Benjamin in vxores, propter quoddam crimen, quod est signum id facere antea licuisse, tamen illa tribu, quam in alijs. Accedente certum est, inter tribum regiam, & leuiticam, hæpe esse contracta matrimonia, vt constat Exod. 6. vbi Aaron accepit vxorem Elisabeth ex tribu Iuda, & secundo Paralip. secund. Ioiada Pontifex habuit vxorem Iosabeth filiam regis Iordan. Vnde non video cur Phyllo Iudæus, lib. 2. de monarchia versus finem ex parte ex sacerdotali genere descendebant. Et augetur difficultas, quia illa lex citata ad summum præcipit coniuges esse contribules, non verò ex eadem familia, si enim habet, *Nubant, quibus volunt, tantum versus tribus hominibus*, ergo ex narratione Matthæi non potest colligi Virginem fuisse ex familia David, esto concedamus esse ex tribu Iuda.

Responso communis est, eam legem habuisse locum in feminis succedentibus in hæreditate patrum, vt planè colligitur ex citato capite ultimo Numeror. si occasio ferendi legem illam, & illius ratio consideretur, vnde Septuaginta, & Chaldaica paraphrasis, clarius dixerunt, *omnis filia hæres*. Idem que colligitur ex Tobia 7. Tunc autem oportuisse hanc filiam hæredem, seu vnigenitam dari propinquiore, vt familia seruaretur, vt indicatur in eodem cap. ultimo Numer. in verbo, illo. *Ducent vxores de tribu, & cognatione sua, & infra, vt hæreditas permaneat in familijs, & à simili colligitur ex Deuteronomij 25. & Ruth tertio, & quarto. Virgo autem Maria erat filia vnigenita, & hæres iochim, vnde concluditur fuisse propinquissimam Ioseph, atque adeò ex tribu Iuda, & familia David. Hanc responso nem latè, & eleganter declarat Eusebius Emisenus. hom. de natiuitate Mariæ. Sed adhuc non est euacuata difficultas, hæc enim responso supponere videtur, quod probandum erat. Fautus enim, vel quiuis alius, qui negaret Virginem esse de tribu Iudæ, sed sacerdotali, ex patre sacerdote, consequens est, vt negaret illam esse filiam hæredem, sequi in tribu Leuitica non erant hæreditates: ergo ex Matthæo nullum argumentum contra eum, qui hoc modo contenderet, sumi potest. Respondeo igitur Matthæum non intendisse eo loco probare Christum esse ex tribu David, sed simpliciter narrare historiam: supposuit autem id, quod eo tempore erat inter Iudæos notissimum, Mariam scilicet, fuisse filiam vnigenitam, & hæredem & ex eadem tribu, & familia, ex qua erat Ioseph. Et*

quia Iudæi, ad quos scribebat, in hoc repugnaturi non erant, sufficiens esse duxit familiam, & lineam Iosephi describere, & ex motione Spiritus Sancti, cuius nutu scribebat, vtitur Scripturæ morem seruare voluit. Primo vt Scripturarum cōsenso, & conuenientia in ipso statim noui testamenti exordio appareret. Secundò, vt inter Mariam, & Ioseph verum intercessisse matrimonium vel eo constaret, quod Iosepho vt capiti deferebatur. Adde Spiritum Sanctum, præcipuum sacræ Scripturæ authorem, non tantum Matthæo, sed etiam Luca ad scribendam Christi genealogiam vsum fuisse, voluisseq; omnibus modis declarare Christum esse ex David, vt in sequētib; amplius declarabitur. Et hoc confirmat, quod Lucas c. 2. refert, ascendisse Beatam Virginem cum Ioseph in Bethlehem ciuitatem David, vt describerentur, tanquam de eadem stirpe generati, vt Hieron. notauit, & tanquam habentes propriam facultatem, & hæreditatem in illa tribu & familia. Vt enim colligitur ex Iosepho libr. 8. antiq. c. 1. illa descriptio magis fiebat intuitu facultatum, seu hæreditatum, quam personarum.

Secundò dicitur, Beatam Virginem descendisse ex Iuda, & David per lineam paternam, & non tantum maternam. Hanc assertionem constituo propter Aug. qui dicto loco libr. 23. contra Faust. videtur sentire, ad veritatem sacræ Scripturæ dicentis Christum esse ex Iuda, & David, retinendam, satis esse, si Beata Virgo saltem per maternam lineam, ab illis descendisse credatur. Quod non displicet D. Th. q. 31. art. 2. ad 2. in fine. Conclusio tamen posita est D. Tho. in 4. d. 30. q. 2. artic. 1. q. 3. ad 4. & disertè asseritur ab Ambrosio lib. 3. in Lucam & Damasc. libro 4. ca. 15. & ab alijs Patribus, quos statim referā, & videtur satis probari ex promissionibus citatis. Nam, si Christus per masculinam lineam descendisset ex Leui, potius ad illum, quàm ad Iudam, vel David pertinisset promissio. Sed præterea, probatur ex Paulo ad Hebr. 7. vbi affirmat Christum esse de tribu Iudæ, & negat esse de tribu Leui: ergo & Beata Virgo fuit de tribu Iuda, & non de tribu Leui, absolute, & simpliciter loquendo, quia (vt dictum est) Christus non sortitur tribum, nisi per Virginem: ergo descendit Beata Virgo per lineam paternam ex tribu Iuda, & non ex tribu Leui: patet consequētia.

Primò, quia absolute magis denominaturaliquis ex paterno, quàm ex materno genere. Secundò, quia saltem non potest verè de aliquo negari, quod fit ex illa tribu, seu origine, ex qua est pater eius: Christus autem, & consequenter Virgo simpliciter negatur esse ex stirpe sacerdotali, vt notauit etiam D. Tho. supra q. 22. art. 1. ad secundum. Tertiò quia distinctio tribuum in paterna linea conseruabatur, vt indicauit D. Thom. super ad Heb. 7. & clariùs notauit Iansen. in concord. capit. 6. & potest facile ostendi. Quia filia Leui dabantur in matrimonium filijs Iudæ, & à contrario, vt ostensum est, ergo, vt tribus non confunderentur, per lineas masculinas necessariò distingui debuerunt. Quartò denique confirmatur ex supradictis. Quia, si Beata Virgo fuisset filia sacerdotis, etiamli haberet matrem ex tribu Iuda, non habuisset hæreditatem paternam, quod est cōtra omnia supra dicta, ergo Iochim pater Virginis non fuit ex tribu Leui, fuit ergo ex tribu Iuda, nam solum inter has tribus potest esse controuersia. Neque Augustinus in citato loco contrarium dicit, quamuis confutando Faustum, vt illum conuincat, varios modos explicet, quibus Beata Virgo potuit ex David originem trahere. Diuus Thomas autem in priori loco citato, nihil aliud fecit, quàm Augustini verba referre. Aduertendum verò est, testimonio Pauli, & rationibus factis rectè conuinci, Virginem per lineam paternam descendisse ex tribu Iuda. Quod verò eandem lineam traxerit ex familia David, non satis potest

potest illo testimonio probari. Suaderi autem potest alijs testimonijs, quibus prædicatur Christus filius David, eiusque regni successor. Reliquæ etiam coniecturæ adductæ, seruata proportionem hoc satis demonstrant.

Dico tertio: Beata Virgo per lineam paternam descendit ex David per Nathan, & filios eius, quamuis verisimile sit aliqua alia via habuisse originem ex Salomone. Prior pars huius conclusionis non est certa sed probabilis. Docuit illam Damasc. lib. 4. c. 15. ubi etiam genealogiam describit, iuxta quam, si vera est, genealogia Virginis est eadem, quam descripsit Luc. c. 3. exceptis tribus primis generationibus, scilicet à Leui vsque ad Virginem: tamen à Leui vsque ad Adam est omnino eadem: eam verò compleuit Damasc. dicens, Leui genuisse Pantheram, hic Barpantheram, hic Ioachim Patrem Virginis, vnde iuxta eandem descriptionem, Ioseph, & Maria erunt in quarto gradu consanguinitatis, non naturali, sed legali: quia Ioseph dicitur fuisse legalis filius Heli, & pronepos Leui, qui erat ataus beatæ Virginis, sed hæc deductio Damasc. habet difficultates infra attingendas. Melius ergo confirmabitur con. ex Luc. 3. simulque deferuiet ad conciliandam genealogiam Christi, quam ibi describit Lucas, cum ea quam Matthæus cap. 1. descripsit. Primo ergo probatur conclusio ex dicto cap. 3. Lucæ, ubi sic dicitur. *Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli, &c.* ubi Euangelista deducit lineam vsque ad Nathan filium David, & deinde vsque ad Adam, sed verisimile est ibi narrare genealogiam Virginis, & non Ioseph, ergo. Probat minor primo quia ita exponit illum locum graues, quamuis recentiores authores, Caietan. Iansen. Dionys. Carth. Arias Montanus, Gagneus, Palatinus, & alij expositores Matth. 1. & Luc. 3. Galatin. lib. 7. cap. 12. Ioannes Dried. lib. 3. de dogmat. cap. 5. Par. 4. in fine, & Ioannes Lucidus lib. 7. de emendatione temporum, cap. 1. Cano. 11. de locis, cap. 5. Soto in 4. d. 30. q. 2. art. 1. & idem sentit Canis. lib. 1. de Deipara. cap. 3. ubi hanc sententiam ex Hosliandro refert, lib. 1. Harmon. Euan. c. 16. & probare videtur idem Erasmus annot. in cap. 3. Lucæ. Citari autem solent in hanc sententiam Hieronymus, vel author libr. de ortu Virg. & aug. libr. 2. de quæstionib. Euangelior. q. 5. sed his locis nullum est verbum de hac re. In libro autem primo quæstion. veteris, & noui testamenti. q. 56. & lib. 2. q. 6. qui nomine Aug. in tit. 4. continentur, indicatur hæc expositio, quatenus ibi dicitur, cum Lucas ait, *qui fuit Heli*, non de Ioseph, sed de Christo loqui. Quod statim exponemus. Citatur etiam pro hac sententia Damascen. lib. 4. cap. 15. Sed immerito: illius enim sententia iam explicata est.

Secundò hæc expositio facilè accommodatur textui. Cum enim Lucas ait, *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli*, optimè intelligitur illud relatiuum, qui, non referre Iosephum, sed Christum, qui dicitur fuisse Heli, non filius, sed nepos. Cum enim Euangelista ex professo sermonem de Christo haberet, & solum per occasionem nominasset Ioseph, non est credibile totam sequentem genealogiam ad Ioseph, & non potius ad ipsum Iesum retulisse, ita ut verbum illud, *qui putabatur filius Ioseph*, per parentheses legatur, quæ constructio verè quadrat cum textu Græco, ubi non fit ascensio, seu narratio per relatiua: sed solum per genitiuos hoc modo, & ipse Iesus erat ut putabatur filius Ioseph, &c. Quia vero Euangelista præmiserat Iesum non habere Patrem nisi existimatum, & matris nollet mentionem facere, immediatè transcendit ad auum. Vnde nihil obstat quod in alijs generationibus ibi numeratis proximis parens referatur, id enim in Christo fieri non potuit, quia ascendendo non habebat patrem ve-

rum, nequè hominem progenitorem propinquo-rem auo, neque hoc est nouum in Euangelio, quia Matthæus ca. 1. eisdem verbis numerans varias generationes, interdum transijt immediatè ad nepotem, quia non decuit interiacentes numerare. Deinde, etiam si exponamus illud relatiuum, *qui*, referre Ioseph, non est necesse ut dicatur esse Heli, quia fuerit filius eius naturalis: sed quia erat quasi legalis filius ratione coniugij cum beata Virgine, cuius naturalis pater erat Heli, sic enim interdum gener forcerum suum patrem vocare consuevit. Est itaque verisimile, cum Matthæus narrasset naturalem genealogiam Ioseph, quæ ad Christum comparata, legalis quodammodo dici potest, Lucam è contrario veluti legalem originem Ioseph, naturalem autem Christi descripsisse. Cum enim præmisset Lucas, Ioseph non esse verum patrem Christi, sed tantum existimatum, non erat, cur illius naturalem genealogiam Virginis, & Christi secundum carnem. Et confirmari potest hæc expositio. Quia ferè omnes interpretes fatentur Ioseph non fuisse naturalem filium Heli, quia Matthæus dicit fuisse genitum ex Iacob, & ideo alij dicunt esse adoptatum, vel legalem, multo ergo facilius exponi potest, quod sit filius, ut ita dicam, coniugalis, & quodammodo naturalis iure matrimonij, nisi quis velit priorem illam Augustini sententiam hic applicare, dicendo fuisse etiam adoptiuum filium Heli patris naturalis Virginis. Nec committitur æquiuocatio, etiam si in alijs, qui in illa linea describuntur, intelligendi sint parentes naturales, quia non sine causa Euangelista vsus est illo communi, & præciso termino, *qui fuit Heli, qui fuit Matthæus, &c.* & à verbo *generandi*, & alio simili abstinuit. Vnde deueniendo ad Adam dixit, *qui fuit Dei*, cum tamen non fuerit propriè filius Dei, quod in omni sententia necessariò dicendum est, ut notauit D. Tho. q. 31. art. 4. ad 3.

Vltimò tandem suadet hæc expositio. Quia non est verisimile, Euangelistas omnino prætermis-isse propriam, & naturalem Christi genealogiam, quæ per Virginem seu eius patrem texenda erat, præsertim cum non sit in scriptura inusitatum, originem foeminarum describere, quando singularis ratio occurrit. Sic enim Iudith, illius foemina pro- sapia describitur propter singularem excellentiam illius, & ad extollendam victoriam, quam de Holo-ferne reportauit, quæ sicut in alijs, ita & in hoc Beate Virginis figura fuisse videtur. Solet tandem conclusio posita confirmari ex verbis Ierem. 22. ubi de Iechonia dicitur. *Non sedebit de semine eius vir super solium David.* Vnde videtur colligi Christum, qui super solium David sedet, non fuisse de semine Iechonia, atque adeò nec Salomonis per masculinam lineam. Sed hoc testimonium non admodum vrget, quia satis commodè exponi potest de regno temporali Iudæorum, in quo nec Christus Dominus Iechonia succelsit, ut cum Ambrosio libr. 3. in Luc. cam notauit Diuus Thom. quæst. 3. artic. 2. ad tertium.

Sed occurrunt in hac sententia, & in expositione posita graues difficultates: prima est, quia videtur pugnare cum tota antiquitate & communi Patrum sententia, tractantes enim loca Matth. 1. & Luc. 3. omnes supponunt vtrunque Euangelistam narrare Ioseph originem, & ideo in his conciliandis admodum laborant, & quamuis diuersas expositiones assignent: nullus tamen ante Ioannem Annum dixit, illum Heli, cuius Lucas meminit, fuisse patrem naturalem Beate Virginis. Vnde illa tandem à Patribus recepta sententia, quæ dicit, Ioseph fuisse naturalem filium Iacob, legalem aurem Heli. Fuisse enim dicuntur Iacob, & Heli, vterini fratres, & Heli duxisse vxorem, & mortuum esse sine liberis, Iacob autem accepisse vxorem eius, ut fuscitaret semen fratri suo, iuxta legem Deut. 25. & ex illa genuisse Ioseph

Damascen.

Luc. 3.

Matth. 1.
Caietan.
Iansen.
Cavithus
Arias Mont.
Gagneus.
Palatinus.
Galatin.
Dried.
Ioan. Lucid.
Canis.
Sotus.
Erasm.
Augustin.

Matth. 1.

Iudith. 3.

Ierem. 22.

Ambros.
D. Thomas.

1. Obiectio.

Ioann. Ann.

Deut. 25.

Ioseph

Ioseph, qui propterea dicitur filius Iacob naturalis, Heli autem legalis. Nec obstat, quod Ioseph non vocaretur eodem nomine, quo pater eius legalis, scilicet Heli, quod obijcit Augu. libro. 2. quaestionum Euang. quaest. quinta, hoc enim non erat necessarium, ut ipsemet respondet li. quaestionum in Deut. quaest. 46.

Quia vero Iacob, & Heli diuersos patres habuerunt, ideo distinctae illorum genealogiae ab Euangelistis narrantur. Cuius sententiae primus author dicitur fuisse Iulius Africanus in episto. ad Aristidem, cuius meminit Hierony. de viris illustribus, qui dixit, accepisse se hanc historiam ab his, qui saluatori propinqui fuerunt secundum carnem. Sed eam prius docuit Iusti. q. 131. ad gentes, sequitur Hieronym. Matth. 1. Ambros. Luc. 3. Ansel. Beda, & alij fere antiqui in eisdem locis, Damascen. lib. 4. c. 15. Nazian. in carmine de genealogia Saluatoris, Euseb. lib. primo hist. c. 6. Niceph. libro 1. cap. 11. & August. cum in illa saepe haesitasset, ut libr. 2. de conf. Euang. cap. 4. & libr. 3. contra Faust. c. 3. & libr. 28. c. 3. & locis supra citatis, tandem vero lib. 2. retractat. capit. 7. 12. & 55. illam probat, & retractat aliam, quam prius docuerat, scilicet Heli fuisse patrem Ioseph solum ratione adoptionis, vel fuisse auum ex parte matris, quod haec reuera nullo nitebatur fundamento. Praedictos denique Patres secutus est D. Tho. q. 31. art. 3. ad 2. & vehemens coniectura est: eos Patres, qui prope Christi tempora vixerunt, historiam hanc diligentissime inquisuisse.

Secunda difficultas est, quia haec sententia supponit Heli fuisse patrem Beatae Virginis, cum tamen omnes Patres dicant illum fuisse Ioachim, ut supra vidimus.

Tertia est, quia iuxta supra dictam sententiam Beata Virgo non descendisset ex Zorobabel, & Salathiel, quia hi fuerunt ex domo David per Salomonem in recta, & masculina linea: consequens est contra Lucam, qui in genealogia, quam describit, hos duos constituit.

Quarta & vltima est, quia sequitur ex hac sententia. Beatam Virginem non fuisse ex genere David, per regalem lineam: consequens autem videtur parum consentaneum Patribus, & Scripturae. Ambros. enim, libro 3. in Lucam contrarium aperte affirmat. Et Hieronymus. Ierem. 22. in fine expresse dicit, Christum fuisse de semine Sedechiae per Salathiel, Zorobabel, & reliquos, & idem habet Zachar. 4. & Ierem. 38. aperte sentit Christum descendisse ex Salomone, & Ezechia: & Theodor. Ierem. 22. in fine. Vnde Bernard. in sermon. *signum magnum*, loquens de Virgine, *Ex regibus*, inquit, *orta, generosa ex stirpe David*.

Et confirmari potest ex illo Psal. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, ubi ad litteram sermo est de Salomone, & de Christo in persona eius. Et hoc sensu videtur Christus dici in Scriptura esse ex semine, seu ex domo David. Luc. 1. *Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui*. Proprie enim *domus David*, significat regalem prosapiam iuxta communem phrasim Scripturae, secundo Reg. 7. tertio Reg. 12. & 13. & saepe alias, & hoc modo dicitur, *Ioseph de domo David*. Luc. 1. & 2. & similiter *semen David*, absolute dici videtur stirps regia, quae per Salomonem descendit.

Ad primam difficultatem respondetur, illam Patrum interpretationem esse quidem probabilem, non tamen certam, neque ab eis simpliciter affirmari: sed eo modo, quo ab Africano tradita est, qui his verbis suam expositionem concludit, *si ueres ita se habeat, siue alio modo, ita existimandum est, quamuis certum desit testimonium, ob id, quod clarior ac verior expositio proferri non potest*, itaque non sunt fundati in certa aliqua historia vel traditione. Imo historia, quam Euseb. & Damascen. referunt, non consonat

Fr. Suarez. Tom. 2.

A tum Euangelio Lucae, ipsi enim dicunt Melchi genuisse Heli, Lucas vero inter Melchi, & Heli ponit Leui, & Matthat, ita ut Melchi genuerit Leui, Leui Matthat, hic Heli, ergo illa historia stare non potest, nisi fortasse mendosi sint codices, & Melchi posuerint loco Matthat. Imo in codice Damasceni alius est apertus error. Ibi enim dicitur Melchi filius Leui, cum tamen Lucas è contrario Leui dicat esse filium Melchi. Melius ergo sequendo hanc sententiam dixit Euthy. in Lucam capit. 6. Matthat duxisse uxorem, & ex ea genuisse Heli, illo autem mortuo alium Matthat duxisse eandem, & ex ea genuisse Iacob, & ita Heli fuisse maiorem natu, & prius duxisse uxorem, quo mortuo sine liberis, Iacob frater eius eandem duxit ad suscitandum semen fratris, & genuit Ioseph, & hoc modo nihil video posse obijci contra hanc sententiam, quo falsa esse conuincatur. Reddatur autem dubia, & incerta: tum quia probabile est oportuisse fratres esse germanos, & eiusdem patris familiae, ac hereditatis, ut vnus posset alteri semen suscitare, ut recte ponderat Corneli.

Iansen. tum etiam quia ipsimet illius defensores inter se non consentiunt in explicanda illo modo genealogia Ioseph. Nam praeter dicta, plures illum faciunt naturalem filium Iacob, legalem autem ipsius Heli. Ambrosius verd è contrario facit illum naturalem filium Heli, & legalem Iacob. Refert etiam Hieronym. super ad Tit. 3. suo tempore hanc quaestionem fuisse valde controuersam, & quendam Iudaeum, qui se Christianum simulabat solutiones quasdam, quasi ex adytis, & oraculo detulisse, ut corda simplicium peruerteret: ipse autem Hieronymus rem ut dubiam, & controuersam relinquit. Solum ergo videtur illa responsio probabiliter tradita, nihil autem obstat, ut aliqua expositio à posterioribus inuenta, si facilius, & expeditior appareat, praefatur. Adde conclusionem positam non pendere ex hac expositione recentiorum. Damascenus enim, qui antiquiorem sequitur, nihilominus nostram sententiam docet, cuius autoritas grauissima est.

Ad secundam respondetur, eundem fuisse Heli, qui Ioachim. siue quia binomius fuit, siue quia in Scriptura, & vsu Hebraeorum, nomina Ioachim, & Eliachim, ut synonyma vsurpantur. Quarto Reg. 23. 4. Reg. 23. 2. Paralipo. 36. Eliachim autem breuitatis causa dici potuit Heli. Ita Ioannes Annius in commentariis Breuiarij temporum, falso Phyloni ascripti, quem alij secuti sunt.

Ad tertiam, Annius eo loco existimans cum Euthymio, Salathiel, & Zorobabel, de quibus Lucas, & Mattheus scribunt, esse eosdem, multa falsa, & improbabilia de his genealogiis docet, quae, quia Scripturae repugnant, & à Iansenio, & alijs satis refutantur, omittenda censui. Dicendum est ergo generationes illas, & personas omnes, quas numerant Mattheus à Salomone vsque ad Iacob, & Lucas à Nathan vsque ad Heli, esse diuersas, ut constat ex numero generationum, & ex magna nominum diuersitate, & ex Patrum interpretatione. Et ita licet in nominibus interdum conueniant, non oportet personas esse easdem. Quocirca Salathiel, & Zorobabel, quorum meminit Lucas, non sunt iidem quos Mattheus recensuit, ut recte docuit Augustin. lib. 5. q. in Deut. quaest. 46. & ita non procedit difficultas posita.

Ad quartam respondetur, ea omnia, quae in illa adducuntur, confirmare posteriorem nostram assertionis partem, nimirum beatam Virginem descendisse etiam ex Salomone, & ex alijs Regibus Iuda, per aliquam maternam lineam, ut recte Diuus Thomas docuit quaest. 31. art. 3. ad secundum. Vbi si attentè legatur, totam nostram conclusionem astruit: approbat enim sententiam Damasceni asserentis Beatam Virginem, & Ioachim patrem eius descendisse

B

Ambros.

Hieronym.

Damascen.

Euthym.

Iansen.

August.

D. Thom.

disse ex Melchi, qui à Nathan genus duxit, subiungit vero D. Thom. Tamen credendum est, quod etiam ex Salomone originem duxerit, secundum aliquem modum per illos Patres, quos enumerat Mathaeus, qui carnalem Christi generationem dicitur enarrare. Hæc D. Thom. Et est facilis coniectura. Nam illæ familiæ, cum essent propinquæ, sæpe matrimonio iungebantur, ut Damascen. & alij citati Patres significant. Ex his colligo, licet certum sit, Mariam, & Ioseph fuisse ex eadem tribu, & familia, non tamen satis constare, in quo gradu cōsanguinitatis propinqui fuerint. Quidam verò prædictas duas sententias coniungentes dicunt fuisse consobrinos filios duorum fratrum. Admittunt enim Iacob, & Heli verè fratres fuisse, eo prorsus modo, quo affirmat communis opinio: sumunt verò ex nostra sententia Heli non fuisse legalem patrem Ioseph, nec habuisse eandem uxorem quam Iacob, sed fuisse Patrem Virginis, & ita recte quidem concludunt, tamē rem incertam affirmant, quia sine fundamento has opiniones componunt.

Beata Virgo
ex tribu Leui
quomodo.
D. Thom.
Bonavent.
D. Anton.
Nazianz.
Epiphani.
Euseb.
Ambros.
August.

Quartò & vltimo dicendum est in hac dubitatione, Beatam Virginem aliqua ex parte duxisse etiam originem ex tribu sacerdotali, seu Leuitica. Ita sentit D. Thom. infra q. 29. art. 1. ad 4. clarius q. 31. art. 3. ad 3. Bonavent. in 4. d. 30. artic. 1. q. 2. in fine. Anton. 4. part. tit. 15. cap. 3. §. 3. & est sententia Nazianz. carmine de genealogia Saluatoris. Epiph. hæresi. 78. post med. Hilar. can. 1. in Matth. Ambros. libr. 3. in Luc. & libr. de benedictionib. Patriarch. cap. 3. & 4. Augustin. lib. 83. quaest. 61. Probatur autem à nonnullis ex dictis Patribus, ex eo, quod Lucas narrat generationem Christi per Nathan, iudicantibus illum fuisse sacerdotem. Vnde Nazian. cum dixisset Dauid dedisse regnum Salomoni, de Nathan subdit, à patre sacrificum duxit genus alter eodem. Et quod magis mirandum est, August. dixit hunc Nathan fuisse illum Prophetam, qui Dauid reprehendit. Quod etiam asseruit Origines, homil. 28. in Luca, Lyra, & Burgen. Matt. 1. idem Lyra, & Albert. Luc. 3. Sed hoc vltimum meritò retractatum est ab Aug. & cap. 26. quia hic Nathan fuit filius Dauid ex Bethabee genitus, ut constat 2. Regum 3. 1. Paralip. 3. & 14. non ergo potuit esse ille Propheta, qui reprehendit Dauid propter adulterium cum eadem Bethabee, ex qua etiam natus est Salomon, qui nihilominus dicitur, Vnigenitus matris sue. Prouerb. 4. quia fortasse fuit primogenitus, ut colligipotest ex 1. Regum 12. & interdum primogenitus more Hebræorum dicitur vnigenitus, præsertim tempore infantie, de quo Salomon in Prouerbis loquebatur. Vel certe dicitur vnigenitus amore, & affectu, quia ita diligebatur, ac si esset vnicus, quamuis re vera habuerit fratres, non solum Nathan, sed etiam alios. Ex quo etiam apertè concluditur hunc Nathan, non fuisse sacerdotem, cum non fuerit de tribu Leui. Vnde restat D. Thom. dicta q. 31. art. 3. ad tertium vidit hoc argumentum non esse efficax ad probandum Christum, aut Virginem esse aliquo modo de genere sacerdotali, & recurrit ad symbolicam argumentationem, scilicet, quod Lucas narrans genealogiam, per eum, qui habebat nomen illius Prophetæ, per quem Deus expiauit peccatum Dauid, indicauit sacerdotalem dignitatem Christi, & aliqualem originem. Et ita tacitè exponit Aug. libr. 2. de consensu Euangelistar. cap. 4.

Luc. 1.

Secundò probari potest conclusio ex Lucæ 1. v. bi Elisabeth dicitur cognata beatæ Virginis, quæ tamen erat ex filiabus Aaron. Sed neque hoc argumentum videtur omnino efficax, varijs enim modis hoc potuit contingere. Primo, quod mater Elisabeth fuerit de tribu Dauid, & hoc modo potuerunt Elisabeth, & Maria esse cognatæ, etiam si Deipara nullo modo descenderet ex tribu Leui, & hunc modum indicat Ambros. libr. 3. in Luc. & Theophyl. Matth. primo, & sequitur Dried. dicto libr. 3. de do-

Ambros.
Theophyl.

gmatis. tract. 3. cap. 5. part. 4. ad finem, Iansen. capit. Dried. 3. concor. Secundo verò modo fieri potuit, ut Ioachim pater Virginis acceperit Annam ex tribu Leui cognatam Elisabeth. Quem modum ex Hippolyto refert Niceph. libr. 2. histo. cap. 3. vbi dicit, Annam fuisse filiam Matthan sacerdotis, & si hoc verum est, satis constat conclusio posita. Tertio hoc esse potuit, etiam si Anna haberet patrem ex tribu Iuda. Nam potuit habere matrem ex tribu Leui, imò idem in Ioachim accidere potuit. Quia (ut supra diximus) hæc tribus facile matrimonio iungebantur. Et hinc etiam vix fieri potuit, quin aliqua ex parte beatissima Virgo ex Leuitica tribu descenderet. Accedit coniectura sanctorum Patrum ex significatione sumpta. Decuit enim ut Christus, qui futurus erat Rex & sacerdos, ex vtriusque tribu regia, & sacerdotali descenderet. Neque obstat quod Pau. ad Heb. 7. negat esse ex tribu Leui, intelligit enim absolute, & simpliciter, id est, per masculinam lineam, ita ut posset esse sacerdos legalis. Sic enim, inquit: Ex Iuda ortus est Dominus, ex qua nullus altario præfatus fuit. Quod intelligi necessariò debet de linea masculina, nam multi Sacerdotes habuerunt matrem ex tribu Iuda, ut de filiis Aaron constat, & eodem modo exponendus est D. Thom. sibi contrarius sit supra quaest. 22. ar. 1. ad 2. Et hæc satis sint de præambulis disputationibus. Iam ad D. Thom. literam accedamus.

QVÆSTIO XXVII.

De Beatæ Virginis Mariæ sanctificatione, in sex articulos diuisa.



Prædicta, in quibus de vniōe Dei, & hominis, & de his quæ vniōem consequuntur, tractatum est. Restat considerandum de his, quæ filius Dei incarnatus in natura humana sibi vnita gessit, vel passus est. Quæ quidem consideratio quadripartita erit. Nam primò considerabimus de his, quæ pertinent ad ingressum eius in mundum. Secundo, de his quæ pertinent ad progressum vite ipsius in hoc mundo. Tertio, de exitu ipsius ab hoc mundo. Quarto, de his quæ pertinent ad exaltationem ipsius post hanc vitam.

Circa primum quatuor consideranda occurrunt. Primo, quidem de Conceptione Christi. Secundo, de eius Natiuitate. Tertio, de eius Circumcisione. Quarto, de eius Baptismo.

Circa Conceptionem autem eius oportet primo aliqua considerare quantum ad matrem concipientem: secundo, quantum ad modum Conceptionis: tertio, quantum ad perfectionem proli conceptæ.

Ex parte autem Matris occurrunt quinque consideranda. Primo, quidem de Sanctificatione eius: secundo, de Virginitate eius: tertio, de Desponsatione eiusdem: quarto, de Annuntiatione ipsius: quinto de preparatione ipsius ad concipiendum.

Circa primum queruntur sex.

Primo, vtrum Beata Virgo mater Dei fuerit sanctificata ante natiuitatem ex vtero. Secundo, vtrum fuerit sanctificata ante animationem. Tertio, vtrum per huiusmodi sanctificationem fuerit sibi tota aliter sublati fomes peccati. Quarto, vtrum per huiusmodi sanctificationem fuerit consecrata, ut nunquam peccaret. Quinto, vtrum per huiusmodi sanctificationem adeptæ fuerit plenitudinem gratiarum. Sexto, vtrum se sanctificari fuerit proprium sibi.

ARTICVLVS I.

Vtrum Beata Virgo mater Dei, fuerit sanctificata ante Natiuitatem ex vtero.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod beata Virgo non fuerit sanctificata ante Natiuitatem ex vtero. Dicitur

q. art. 1.
1. Cor. 15.
Et Ps. 41.

Dicit enim Apostolus 1. ad Corinth. 15. Non prius quod spirituale est, sed prius, quod est animale, deinde quod est spirituale. Sed per gratiam sanctificantem nascitur homo spiritualiter in Filium Dei, secundum illud Ioann. 1. Ex Deo nati sunt. Natiuitas autem ex vtero est natiuitas animalis. Non ergo B. Virgo fuit prius sanctificata, quam ex vtero nasceretur.

In epist. 57.
ad medio. 10.
mo 1.

2. Præterea, August. dicit in Epistola ad Dardanum. Sanctificatio, qua efficitur templum Dei, non nisi renatorum est. Nemo autem renascitur, nisi prius nascatur. Ergo Beata Virgo non fuit prius sanctificata, quam ex vtero nasceretur.

3. Præterea, Quicumque est sanctificatus per gratiam, est mundatus à peccato originali & actuali. Si ergo beata Virgo fuit sanctificata ante natiuitatem ex vtero, consequens est, quod tunc fuerit emundata ab originali peccato. Sed solum originale peccatum poterat eam impedire ab introitu regni celestis. Si ergo tunc mortua fuisset, videtur, quod ianuam regni celestis introisset. Quod tamen si non potuit ante passionem Christi: habemus enim fiduciam in introitum Sanctorum per sanguinem eius: ut dicitur Hebræor. 10. Videtur ergo, quod B. Virgo non fuerit sanctificata antequam ex vtero nasceretur.

4. Præterea, Peccatum originale contrahitur ex origine, sicut peccatum actuale ex actu. Sed quamdiu aliquis est in actu peccandi, non potest à peccato actuali mundari. Ergo etiam nec beata Virgo à peccato originali mundari potuit dum esset adhuc in ipso actu originis, in materno vtero existens.

Sed contra est, quod Ecclesia celebrat natiuitatem beatæ Virginis, non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto. Ergo B. Virgo in ipsa sua natiuitate fuit sancta. Fuit ergo in vtero sanctificata.

In lib. de assumptione
beate Mariæ
cap. 6 præci-
pue, temo 6.

Respondendo dicendum, quod de sanctificatione Beate Mariæ, quod scilicet fuerit sanctificata in vtero, nihil in scriptura canonica traditur: quæ etiam nec de eius natiuitate mentionem facit. Sic ut tamen August. in sermone de assumptione ipsius Virginis, rationabiliter argumentatur, quod cum corpore sit assumpta in celum (quod tamen scriptura non tradit) ita etiam rationabiliter argumentari possumus, quod fuerit sanctificata in vtero. Rationaliter enim creditur, quod illa quæ genuit Vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus alijs maiora priuilegia gratiæ acceperit. Vnde, ut legitur Luc. 1. Angelus ei dixit. Ave Maria gratia plena. Inuenimus autem quibusdam alijs hoc priuilegialiter esse concessum, ut in vtero sanctificarentur, sicut Hieremias, cui dictum est. Hierem. 1. Antequam exires de vulua, sanctificauit te, & sicut Ioannes Baptista, de quo dictum est Lucæ 1. Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris sue. Vnde rationabiliter creditur, quod beata Virgo sanctificata fuerit: antequam ex vtero nasceretur.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam in beata Virgine prius fuit id quod est animale, & post id quod est spirituale, quia prius fuit secundum carnem concepta, & postea secundum Spiritum sanctificata.

Ad secundum dicendum, quod August. loquitur secundum legem communem, secundum quam per sacramenta non regenerantur aliqui, nisi prius nati. Sed Deus huic legi sacramentorum, potentiam suam non alligauit, quid aliquibus ex speciali priuilegio gratiam suam conferre possit, antequam nascerentur ex vtero.

Ad tertium dicendum, quod beata Virgo sanctificata fuit in vtero à peccato originali, quantum ad maculam personalem, non tamen fuit liberata à reatu, quo tota natura tenebatur obnoxia, ut scilicet non intraret in paradysum nisi per Christi hostiam, sicut & de sanctis Patribus dicitur, qui fuerunt ante Christum.

Ad quartum dicendum, quod peccatum originale tra-

Fr. Suarez, Tom. 2.

hitur ex origine in quantum per eam communicatur humana natura, quam proprie respicit peccatum originale: quod quidem sit quando proles concepta animatur. Vnde post animationem nihil prohibet prolem conceptam sanctificari: postea enim non manet in materno ad accipiendam humanam naturam, sed ad aliqualem perfectionem eius, quod iam accipit.

COMMENTARI VS.

Doctrina D. Thom. in hoc artic. clara est, & expositione non indiget. Solum pro ijs, quæ de conceptione Virginis à nobis dicenda sunt, duo occurrunt notanda. Alterum est circa corpus articuli, in quo Diuus Thomas propter rationabilem argumentationem concludit excipiendam esse beatam Virginem à lege communi nascendi in peccato, quamuis talis exceptio in sacra Scriptura non sit expressa, ne priuilegium, seu donum gratiæ alicui concessum, Deiparæ credatur esse negatum. Alterum est in solutionibus argumentorum. Si enim recte argumenta considerentur, non minus, imò magis procedunt contra sanctificationem Virginis in ipsamet conceptione, quam in reliquo tempore ante natiuitatem eius, & ideo oportet solutiones ita accommodare, ut vtrique quæstioni satisficiant. Quod breuiter faciam per singula discurrendo.

Primum ergo argumentum est. Quia prinse est id, quod animale, quam quod spirituale. 1. ad Corinth. 15. ergo beata Virgo prius est animaliter (vt ita dicam) ex hominibus concepta, vel nata, quam spiritualiter ex Deo. Respondet D. Tho. concedendo totum argumentum, quantum ad Virginis conceptionem. Sed addendum est, id, quod est animale, seu naturale, non oportere esse prius tempore, quam id, quod est spirituale: sed satis esse, si supponatur ordine naturæ tanquam subiectum suæ formæ. Sicut in Adamo, cum primum à Deo creatus fuit, prius fuit id, quod animale, quam id, quod spirituale est, id est, natura quam gratia, non tempore, sed ordine naturæ, id ergo satis est.

Secundum argumentum fundatur in testimonio August. epist. 57. dicentis, neminem renasci, nisi prius nascatur. Responsio vero D. Thom. est hoc esse verum de lege communi, quæ singularia priuilegia non excludit. Quæ responsio optimè etiam conceptioni accommodatur. Quamuis addi possit neminem omnino renasci, nisi prius in vtero nascatur, seu concipiatur, prius (inquam) non tempore, sed naturæ ordine, ut dictum est, quanquam (vt opinor) non fuerit hæc August. intentio.

Tertium argumentum est. Quia si beata Virgo fuisset sanctificata in vtero, & ab originali peccato liberata, potuisset tunc gloriam consequi, si mortua esset ante Christum. Responsio verò est negando consequentiam, quia licet eius persona fuerit liberata à culpa, non tamen à reatu, quo tota natura erat obnoxia, donec pro illa exhiberetur satisfactio. Quæ solutio optima est, & eadem omnino ratione locum habet, etiam si beata Virgo fuerit ab originali peccato præseruata, vt iterum in sequentibus dicemus.

Quartum argumentum est. Quia peccatum originale contrahitur ex origine, sicut peccatum actuale ex actu, ergo non potest remitti in ipsa origine, sicut nec peccatum actuale, cum actu committitur. Responsio verò D. Thom. est argumentum concludere, peccatum originale non fuisse remissum Virgini in ipsa conceptione, & animatione, quæ est propria origo proles, non verò procedere de reliquo tempore ante natiuitatem ex vtero, quia in illo proles non accipit naturam humanam à parentibus, sed in illa perficitur.

B 2

Responsi-

Respondendum tamen est, neutrum probari posse illo argumento, aliàs, non solum dicendum esset, beatam virginem fuisse conceptam in peccato originali, sed etiam impossibile fuisse aliter fieri, supposita origine ex Adamo per seminalem generationem, consequens autem improbabile esse infra ostendam. Dicendum est ergo cum Augustino libr. 6. contra Iulian. cap. 4. non posse originale peccatum, cum actuali in omnibus comparari, ut patet. Quia manente voluntate in peccato impossibile est, ut remittatur peccatum eidem supposito, vel in voluntate, vel in illo membro, per quod peccatum committitur, & tamen, licet peccatum non fuisset remissum Adæ, potuisset filius remitti: non est ergo exacta similitudo, & differentia est, quia peccatum originale, quod filius Adæ contrahit, est numero distinctum à peccato, quod personæ Adæ inhæsit, & ideo tolli potest, vel impediri sine illo: at verò in eodem supposito peccatum, quod est in voluntate, vel in actu externo ab illa manente, idem numero est, nam actus exterior formaliter constituitur in esse peccati ab interiori actu.

Differeñtia inter peccatũ originale, & actuale quoad remissionem.

Peccatum actuale, ut sic cur remitti non possit dum sit.

Ad argumentum ergo in forma, negatur similitudo, quia non est exacta, sed aliqualis ad rem explicandam. Vnde non necesse est, ut in omnibus teneat. Et ratio differentie clara est ex dictis. Quia actus interior in se est vnus, & idem, & ideo, dum est, non potest non esse, facta compositione. Quod si comparetur ad actum exteriorem ab illo manentem, est veluti forma eius in esse peccati, & ideo etiam fieri non potest, quin actus exterior, dum ita sit ab interiori, non sit peccatum: at verò proles concepta ex Adamo solum comparatur ad illum, ut subiectum recipiens influxum culpæ à radice infecta, tanquam à causa suo modo efficiente. Vnde sic ut potest Deus impedire influxum causæ efficientis, vel actum, ne influat habitum: ita potest per influxum gratiæ impedire, ne Adam influat originalem culpam in prolem conceptam. Præcipue, quia peccatum Adæ iam reuera non existit, & quamuis existeret, peccatum originale denuo esset in prolem transfundendum, numero distinctum à peccato capitis, potest ergo impediri, & præueniri, ne illud transfundat. Sicut, dum homo actualiter peccat, impediri potest, ne internum peccatum voluntatis transfundat in membra externa, præueniendo, & impediendo, ne illa ad peccatum moueat.

ARTICVLVS II.

Utrum Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem.

*159.
3. di. 3. q. 1.
art. 1. &
quo. 6. q. 5.
art. 1. Cor.
& opus. 3. 6.
2. 1. artic.
præced.*

*Libr. 1. in
Luc. in tit.
de turbari
Zacha. con.
firmat. parũ
ante mediũ
tom 5. ca. 18.
parũ à prin
cipio.*



Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod Beata Virgo sanctificata fuerit ante animationem. Quia (ut dictum est) plus gratiæ est collatum Virgini mari Dei, quam alicui Sanctorum. Sed quibusdam videtur esse concessum, quod sanctificarentur ante animationem: quia ut dicitur Hier. 1. Priusquam te formarem in vtero, noui te. Non autem infunditur anima ante corporis formationem. Similiter etiam de Ioanne Baptista dicit Ambrosius super Luc. quod nondum inerat ei spiritus vite, & iam inerat ei spiritus gratiæ. Ergo multo magis B. Virgo ante animationem sanctificari potuit.

2. Præterea, Conueniens fuit (sicut Anselm. dicit in libr. de conceptu Virginali) ut illa Virgo ea puritate niteretur, qua maior sub Deo nequit intelligi. Vnde, & Cant. 4. dicitur, Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Sed maior puritas fuisset Beata Virgini, si nunquam anima eius fuisset inquinata contagio originali peccati. Ergo

A hoc ei præsinitum fuit, ut antequam animaretur caro eius, sanctificaretur.

3. Præterea, Sicut dictum est, non celebratur festum, nisi de aliquo Sancto. Sed quidam celebrant festum conceptionis Beatae Virginis: Ergo videtur quod in ipsa sua conceptione fuerit sancta, & ita quod ante animationem fuerit sanctificata.

*art. 1. huius
q. argu. se.
contra.*

4. Præterea, Apostolus dicit Rom. 11. Si radix sancta, & rami: radix autem filiorum sunt parentes eorum. Potuit ergo Beata Virgo sanctificari, etiam in suis parentibus ante animationem.

Sed contra est, quod ea, quæ fuerunt in veteri Testamento, sunt figura noui, secundum illud 1. ad Corinth. Omnia in figura contingebant illis. Sed per sanctificationem Tabernaculi, de qua dicitur in Psal. 45. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus, videtur significari sanctificatio matris Dei, quæ tabernaculum Dei dicitur: secundum illud Psal. 18. In sole posuit tabernaculum suum. De tabernaculo autem dicitur Exod. 16. Postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud. Ergo etiam B. Virgo non fuit sanctificata, nisi postquam cuncta eius perfecta sunt, scilicet, & corpus & anima.

Respondeo dicendum, quod sanctificatio Beatae Virginis, non potest intelligi ante eius animationem, duplici ratione. Primo quidem, quia sanctificatio, de qua loquimur, non est nisi emundatio à peccato originali: sanctitas enim est perfecta munditia, ut Dionysius dicit in 12. capit. de diuin. nomin. Culpæ autem non potest emundari nisi per gratiam, cuius subiectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animæ rationalis Beata Virgo sanctificata non fuit. Secundo, quia cum sola creatura rationalis sit susceptiua culpæ, ante infusionem animæ rationalis proles concepta non est culpæ obnoxia. Et sic quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpæ: & ita non indigisset redemptione & salute, quæ est per Christum: de quo dicitur Matth. 1. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem inconueniens est, quod Christus non sit saluator omnium hominum, ut dicitur 1. ad Timoth. 4. Vnde relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem.

*Cap. 12. parũ
rum à prin
cipio.*

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus dicit, ante formationem in vtero se Hieremiam nouisse, notitia scilicet predestinationis: sed sanctificasse dicit eum non ante formationem, sed antequam exiret de ventre. Quod autem Ambrosius dicit, quod Ioanni Baptista nondum inerat spiritus vite, iam iam haberet spiritum gratiæ, non est intelligendum, secundum quod spiritus vite dicitur anima viuificans: sed secundum quod spiritus vite dicitur aer exterior respiratus. Vel potest dici, quod nondum inerat ei spiritus vite, id est, anima, quantum ad manifestas & completas operationes ipsius.

*Loco citato
in argum.*

Ad secundum dicendum, quod si nunquam anima Beatae Virginis fuisset contagio originali peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est vniuersalis saluator. Et ideo sub Christo, qui saluari non indiguit, tanquam vniuersali saluator, maxima fuit Beatae Virginis puritas. Nam Christus nullo modo contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secundum illud Luc. 1. Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Sed Beata Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata antequam ex vtero nasceretur. Et hoc signatur Iob. 3. ubi de nocte originali peccati dicitur: Expecta lucem, id est, Christum, & non videat (quia nihil inquinatum incurrat in illum: ut dicitur Sap. 7.) nec ortum surgentis aurora, id est, Beatae Virginis.

Virginis, quæ in suo ortu à peccato originali fuit immu-

nis. Ad tertium idem dicendum, quod licet Romana Ecclesia conceptionem beatæ Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebratio non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc quod festum conceptionis celebratur, datur intelligi, quod in sua conceptione fuerit sancta: sed quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius, quam conceptionis in die conceptionis ipsius.

Ad quartum dicendum, quod duplex est sanctificatio. Una quid in totius natura, in quantum scilicet tota natura humana ab omni corruptione culpa, & pœne liberatur: & hæc erit in resurrectione. Alia vero est sanctificatio personalis, quæ non transit in prolem carnaliter generatam: quia talis sanctificatio non respicit carnem, sed mentem. Et ideo si parentes beatæ Virginis fuerunt mundati à peccato originali, nihilominus Beata Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta secundum carnem concupiscentiam ex commixtione maris, & femine, dicit enim Augustinus in libr. de nuptiis, & concupiscentia, omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati.

COMMENTARIUS.

Titulus huius articuli attente notandus est. Queritur enim D. Thomas de tempore ante animationem, & in responsione transiit ad tempus animatione posterius, omittens momentum ipsum, in quo animatio perficitur, in quo tota difficultas sita est. Cuius occasio videtur sapè fuisse, quia supponit D. Thomas, necesse esse prolem non sanctificatam ante animationem in se, neque in radice sua, in ipsa animatione esse peccato obnoxiam. Et propterea in corpore articuli respondet, beatam Virginem sanctificatam esse post animationem. Et siquidem illa particula, post, solum naturæ ordinem significaret, nulla esset controuersia. Et reuera argumentum Symbolicum, quo D. Thomas utitur in argumento, sed contra, nihil aliud requirebat, ita enim concludit Virgidem non esse sanctificatam, donec eius corpus, & anima perfecta sunt, & vnita. At verò in corpore articuli manifestè intendit loqui de ordine temporis. Nam pro inconuenienti infert, quod alias beata Virgo nunquam incurrisset maculam originalis culpæ. Ratio autem eius difficile deduci potest. Omissa enim prima ratione, quæ clara est, & rectè concludit, beatam Virginem non potuisse in se, ac propriè sanctificari ante animationem, in secunda idem colligit ex eo, quod alias beata Virgo nunquam fuisset obnoxia peccato, quia ante animationem non erat capax peccati, unde vterius infert: ergo quacunque ratione fuisset sanctificata ante animationem, non fuisset obnoxia peccato, ergo nunquam incurrisset originale peccatum, ergo non indiguisset redemptione, quod est inconueniens, unde tandem concludit sanctificatam fuisse post animationem. Quæ vltima illatio videtur supponere, non posse aliquam personam in eodem momento esse obnoxiam culpæ & esse sanctam, atque ad eod idem esse prolem aliquam esse obnoxiam peccato originali, & esse in peccato originali. Nam si hæc duo distincta sunt, ratio non procedit: Potuit ergo beata Virgo ex vi suæ originis esse obnoxia culpæ, & ideo indigeret redemptione, & nihilominus in eodem momento, in quo erat obnoxia, præueniri, ne illam contraheret. Sed de hoc latius in disputatione sequenti. Ex qua etiam pendet, quæ D. Tho. in solutionibus argumentorum docet, præferim in solutione ad secundum, & ter-

Fr. Suarez. Tom. 2.

tium, in qua vltima satis indicat, si presentem Ecclesiæ faciem vidisset, aliter de immaculata Virgine conceptione docturum fuisse.

DISPUTATIO III.

in sex Sectiones distributa.

De tempore, quo primum Beata Virgo sanctificata fuit.



Isturi de donis gratiæ Beatæ Virginis collatis, triplicem eius sanctificationem distinguere possumus. Prima tunc facta est, quando primum in iustitia, & gratia est constituta. Secunda specialiter tribui solet illi tempori, in quo Deum in utero suo concepit. Sed nos latius secundam eius sanctificationem vocamus, totum tempus vitæ, in quo incredibile gratiæ, & meritorum augmentum comparauit. Tertiam sanctificationem voco eam, quæ est per gratiam in beatitudine consummatam. De prima agit potissimum D. Thom. in hac quæstione, quam hic etiam nos explicabimus. De secunda verò, & tertia in fine harum disputationum de beatæ Virgine, dicemus. Circa primam autem sanctificationem, duo occurrunt consideranda, scilicet, quando facta sit, & qua perfectione (an enim facta sit, non est quod queratur, quia nihil est certius, magisque extra controuersiam.) De primo ergo dicemus in hac disputatione. De secundo in sequenti. Quia verò per primam sanctificationem hominis ex Adamo communi modo concepti, peccatum originale tollitur, ideo simul videndum erit, an & quomodo B. Virgo huic peccato subiecta fuerit.

SECTIO II.

An Beata Virgo fuerit sanctificata in utero matris.

IN hoc dubio nihil ferè addendum occurrit ijs, quæ D. Thom. docuit in art. 1. Veritas enim certa est Beatam Virginem fuisse sanctificatam, priusquam ex utero matris nasceretur. In qua consentiunt omnes Theologi cum D. Tho. hic, & Magistro in 3. d. 3. Alenf. 3. p. q. 8. Marfil. in 3. q. 4. & in eius confirmationem multa congerit Canisius lib. 1. c. 5. & sequentibus, & Anton. Cordub. lib. 1. q. 44. conclus. 4. unde Rupert. Abbas lib. 6. in Cant. c. 1. tractans illa verba Quæ est ista, quæ ascendit quasi aurora. Quando nata est, inquit, Virgo Beata, tunc vera nobis surrexit aurora, & Nyceph. lib. 1. c. 1. inuenta est, inquit, Beata Virgo Maria dignum, Deumq. deus Verbi domicilium, etiam ante Nativitatem Deo consecrata. Omnia denique tam testimonia, quam rationes, quibus infra demonstrabimus Virginem in sua conceptione fuisse sanctificatam, veritatem hanc fortius probabunt. Nunc sufficiat ratio D. Thom. quam benè roborare oportet. Fundatur enim in illo principio, quia privilegium gratiæ, & sanctitatis ad maiorem puritatem, & gratiæ excellentiam pertinens, quod quibusdam hominum concessum est, non est negatum Beatæ Virginis, sed sanctificari in utero concessum est aliquibus: ergo. Maiorem satis supra tractauimus disputatione prima sectione secunda. Minorem probat D. Thomas ex sanctificatione Ieremiæ, & Ioannis Baptiste. Nec desunt, qui privilegium hoc ad alios extendunt. Sed sine probabilitate, ac fundamento. Imò & de Ieremia sunt, qui dubitent. Nam licet Ieremiæ primo dicatur, Antequam te formarem in utero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificauit te, & prophetam in gentibus dedi te: existimant tamen posse hos explicari secundum diu-

D. Thom.

Magist.

Alenf.

Marfil.

Canis.

Ant. Cord.

Rupert.

Nyceph.

B. Virgo in

utero matris

sanctificata

Dubium.

Ferrat.

B. 1.

nam